



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

Appendix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

ecclesiasticae robora fidelius ceteris regnis omnibus conservasse.

DE REBUS CLERI GALLICANI
COMMENTARIUS.

I.

Cleri
olim im-
munitas

PRINCIPES Christiani, diversas ecclesiae immunitates indulgentes, fundos non liberarunt antiquis obligationibus, quibus subiecti erant. Terras ecclesiae, aequae ac ceteras, tributa pendisse, agnoscit Ambrosius¹. Reges nostri Carolingici constituerunt, ut quaelibet ecclesia *unum mansum* omni onere ac tributo liberum possideret; de ceteris autem dynastis debita penderet². Post vana in ecclesiam irrepsit persuasio, terras ecclesiasticas plane liberarum volentium³, ne deterioris conditionis essent, quam terrae sacerdotum Aegypti tempore Iosephi⁴. Concilio Lateranensi an. 1179. Alexander III. sub poena excommunicationis consulibus & civitatum rectoribus praecepit, ne qua clericos ad onera publica adstringerent; permisit tamen episcopis & clericis urgente necessitate vel insigni utilitate suadente sponte reipublicae succurrere⁵. Idem concilio Lateranensi an. 1215. decrevit Innocentius III. adjecitque, ne voluntarium quidem subsidium a clero, inconsulto pontifice, offerri posse⁶.

1) C. 11. q. 1. c. 27. 28. C. 23. q. 8. c. 21.

2) Conc. Vormat. c. 50. 23.

3) C. 3. q. 8. c. sancitum 25. 4) Gen. XLVII. 26.

5) C. 4. X. de immun. eccl. 6) C. 7. eod.

minuitur
imperatis
decimis,

II. EXPEDITIONES autem cruciatae praediis ecclesiasticis insignia onera conciliarunt. Quum Philippus Augustus cum Richardo

do

do Angliae rege an. 1188. ad recuperandas Hierosolymas, à Saladino occupatas, accingeretur, statutum fuit, ut, qui hujus itineris societatem detrectabant, cujuscumque conditionis homines, decimam omnium mobilium & annui proventus penderent. Haec est illa *decima Saladiniana*, quae primum cleri onus vulgo reputatur. Innocentius III. ¹ constituit, ut omnes clerici per triennium *vicesimam* redditus sacri bello sacro impenderent, cui pontifex & cardinales decimam consecrarunt. Nam duabus prioribus expeditionibus reguli admodum emuncti, sacerdotes opibus aucti fuerant. Eodem saeculo tributum illud increbrescebat. Nam regnante Ludovico IX. viginti annis tredecies: Philippo pulchro octodecim annis, vicies & semel, saepeque postea sub omnibus regibus inde a Philippo Augusto pendendum fuit. Quum autem non solum adversus infideles recuperandae terrae sanctae, sed etiam contra haereticos aliosque excommunicatos bella sacra decernerentur; his quoque expeditionibus decimae impendendae fuere. Tales Honorius III. an. 1226. Ludovico VIII. fortassis adversus Albigenses; Urbanus IV. Carolo Andegaviensi post vespereas Siculas adversus Manfredum an. 1262. Martinus V. adversus Petrum Aragonium indulgisse legitur. Eodem obtentu reges permiserunt, ut clerus subsidia conferret ad bella pontificum adversus hostes ecclesiae. Sic Philippus Augustus adversus Ottonem IV. imperatorem Innocentio III. subsidium, & Philippus pulcher adversus Ludovicum Bavarum Joanni XXII. duas decimas largitus est. Quae decimae schismate Avenionensi multiplicatae

sunt, quo uterque papa bellum, quod cum adversae parti addictis gessit, sacrum nuncupabat. Sed Francia tum huic abusu, ut ceteris curiae Romanae exactioibus, acriter restitit. Ante schisma ratio decimas exigendi inita erat, quippe quod subsidium admodum frequentabatur. Exstat enim constitutio Bonifacii VIII. qua bona omnia decimis subjecta exacte enumerantur², & Clementis V. qua pendenda iungitur, ex veteri catastro³. Haec constitutio loquitur de decimis regi a papa concessis, quod tum in morem ire coepit citra obtentum religionis. Tales sunt duae decimae, quas Clemens IV. an. 1348. Philippo Valesio, difficili reipublicae tempore, permiserat. Post schisma sublatum & post concilium Basileense decimae rarius imperatae, licet pontifices iis inhiaverint. Ludovicus XII. an. 1501. permittente pontifice Venetis adversus Turcos dimicantibus unam decimam largitur. Leo X. an. 1516. Francisco I. decimam unius anni a clero exigendam, belloque adversus Turcos, quod regi propositum, impendendam indulgit. Quo tempore singula beneficia, quae decimam partem reddituum non excedunt, taxata sunt; quem calculum hodiernum sequimur. Eodem anno per concordatum Annatae, abolita pragmatica, quae eos sustulerat, tacite resuscitantur, quod est novum onus clero Francico pontificis bono impositum. Ex eo tempore saepe clerus, inconsulto pontifice, regi subvenit. Nam & an. 1527. redimendo regi e carcere tredecies centies mille libras obtulit, & an. 1534. bonorum ecclesiasticorum proventus cum rege partitus est, & an. 1551. nova subsidia pendit. Immo a. 1557.

decimarum exactores publici officii titulo instituti sunt, quibus alendis singulæ libræ singulis solidis auctæ. Quo manifestum fit, decimas eo tempore fuisse ordinarias.

1) *Conc. Lat. in f.* 2) *Extr. com. un. de dec.* 3) *Cl. ult. eod.*

III. INDE a conventionione Pissiacensi an. 1561. subsidia e clero regi pendenda in legem abiere. Abusus horum reddituum hæreticorum odium & indignationem catholicorum provocaverat. Qua de re ad comitia Aurelianensia querelas delatas legimus. Unde rege jubente plures prælati Possiacum an. 1561. vocati, ut de reformanda ecclesia consilia miscerent. Ibi habitum fuit illustre cum ministris *reformatis* colloquium, quorum factio tam potens fuit, ut clero exitium minaretur. Igitur prælati per annos VI. regi sedecies centies mille libras, itemque domania, tributa & vectigalia, curiæ Parisinæ pro sexcenties tricies mille librarum redditu oppignorata, septem millionibus ac quinquies centies sexagies mille libris proximo decennio se reluturos spondent. Rex autem tantum aberat, ut semet liberaret, ut potius novos redditus quatercenties trecies sex mille librarum constitueret, solutionemque huic impositioni, quasi æternum duraturæ, assignaret. Clerus e diverso plures redditus ad reluendas hypothecas & ad evitandas novas alienationes constituit, septies centies quinquagies ac ter mille librarum, quæ cum quatercenties tricies sex millibus non solutis perficiunt summam millionis & centies octogies novies mille librarum. Clerus quum tantam pecuniam regi suppeditasset, satisfecisse videbatur conventioni, omnesque tum cum rege, tum

quæ in legem abierunt conventionione Pissiacensi 1561.

& Melodunenſi
1580.

cum civitate initos contractus nullitatis accusavit, intercedente præſide curiæ & civitate Pariſina, quæ reditus porro pendendos clamabat. Rex litem dirimere noluit, nec dum decimam. In conventu Melodunenſi an. 1580. clerus, non agnitis uſuris Pariſienſibus, poſt reciprocas proteſtationes, ſex annis tredecies centies mille libras, nimirum duodecies centies ſexies mille, quorſum uſuræ per errorem auctæ ferebantur, uſuris, & reliquum ſorti imputandum conceſſit: quod 1586. ad decem annos ſuſceptum & 1596. 1606. 1616. & ſic deinceps ſingulis decenniis, proteſtatione interpoſita, renovatum. Atque hanc impoſitionem vocarunt *decimam ordinariam*, quæ an. 1636. quo pars ſortis diſpuncta, ad duodecies centies nonagies ſexies mille libras reducta eſt, ſecundum cataſtrum an. 1516. exigenda, uniceque uſuris Pariſinis & officialium ſalariis impendenda.

ita ut
omnia
beneficia
eis ſubje-
cta ſint.

IV. HUIC oneri omnia beneficia h. e. omnes ii, qui certo ac ordinario proventu eccleſiaſtico, immo vel penſione gaudent, ſubjecti ſunt, ne officiis quidem clauſtralibus, quæ ſeparatos reditus habent, exceptis. Equites Joannitici, qui tum Rhodii appellabantur, 1516. 1561. & deinceps eadem ruina involuti ſunt, licet ad exemptionum privilegia provocarent. Nam an. 1606. ad tranſactionem converſi, ſingulis annis vicies octies mille libras ſuppeditandas ſuſceperunt, & ex eo tempore ſuppeditarunt, quæ *quota Rhodiorum* appellatur. Nec Jeſuitæ ob beneficia, eorum collegiis unita, decimis exempti ſunt; quibus an. 1635. omnes religioſæ domus recentiorum foundationum, & generatim omnia beneficia, in cataſtro a. 1516.

omissa, subjecta fuere. In Bearnia statim post instaurata sacra catholica decimæ injungi cœpere; sed ecclesiastici in hac provincia & in Navarra resistere usque ad an. 1670. Decimæ, vi conventionis cum rege initæ, imponuntur & secundum catastro an. 1516. quod procedente tempore emendatum, penduntur. In hoc catastro designatur, quantum qualibet diœcesis, & in singulis diœcesibus constituitur, quantum quodlibet beneficium solvere debeat^r. Exiguntur autem a singularum diœcesium rationariis, qui post terminum elapsum beneficiarios cogunt, nummosque collectos provincialibus tradunt, qui eos consignant exactori generali. Interim nulla hic obligatio in solidum; nam nec beneficiarius pro beneficiario, nec diœcesis pro diœcesi solvit. Excusantur etiam, qui beneficiorum fructu spoliati; quod olim, bellis civilibus flagrante patria, sæpe contigit; item, quibus vel ab hoste vel a provincialium gubernatoribus nummi decimales intercipiuntur. Quæ causæ tamen probandæ sunt. Contra quilibet possessor, immo & prædo, beneficii decimas pendit. Executio fit in dispensatorem, exactorem seu conductorem, sive universalis sit, sive particularis, usque ad concurrentem summam locarii, etiamsi beneficiarius decesserit. Successor, qui in locum defuncti venit, duorum; qui in locum resignantis, trium ultimorum annorum decimas, si exactor culpam moræ a se avertere potest, solvere tenetur. Nam ultra trium proxime lapsorum annorum decimas nullæ peti possunt. 1) *Edict.* 1599.

V. QUUM itaque ex Melodunensi ce-
 terisque novioribus conventionibus decimæ cc-

Præterea
 regi con-

cedenda
sunt sub-
sidia ex-
traordi-
naria,
quæ do-
num gra-
tuitum
vocantur.

clesiasticæ stati naturam tributi induerint, quod redimendis usuris Parisiensis curiæ impendendum regi parum prodest; contingit, ut rex peculiaria subsidia extra ordinem a clero postulet, quæ olim, ubi opus erat; hodie in omnibus cleri conventionibus generalibus conceduntur. Sic an. 1621. quum bello intestino Mons Albanus obsideretur, clerus nova officia, quæ rex instituit vendiditque pro parata pecunia, ex ærario suo sustentavit. Quum an. 1628. magni sumtus faciendi essent in obsidionem Rupellæ, & Urbanus VIII. rege volente, sacro rescripto clerum ad largiter suppeditanda subsidia exhortaretur; tres librarum miliones dari meminimus. Bello externo an. 1636. suscepto, clerus consensit, ut rex constitueret privatis annuos tercenties librarum reditus a clero postea redimendos. Anno 1641. ob fundos inde ab an. 1620. acquisitos clero imminebat tributum extraordinarium pro *amortisatione* imponendum: quod in conventu Medumensi quinque millionibus & quinquiescenties mille libris redimendum esse censuit: quod multo consultius visum, quam in singulos annos modicam summam pendere, quæ facile in naturam decimæ ordinariæ abire potuisset. Anno 1650. ob coronationem & an. 1660. ob nuptias nova subsidia data, quæ dona gratuita ex eo tempore ordinaria facta & singulis conventibus, qui singulis quinquenniis habentur, concessa sunt. An. 1675. præter decimarum ordinariarum promissionem renovatam clerus donum gratuitum quatuor millionum & quinquiescenties mille librarum obtulit, cui summæ inter cetera imputabantur debita cura

ex *amortifatione*, tum alias reliqua, & hactenus nondum exacta: præterea taxati sunt, qui bona ecclesiastica alienata possederunt, quatercenties mille libris, quæ taxa fuit octavi denarii. Hæc dona gratuita simul solvenda solvuntur secundum partitionem Meduntensem an. 1645. emendatam, quæ differt a designatione decimarum an. 1517. Rhodii, Jesuitæ & ceteri novi ordines horum subsidiorum partem conferunt.

VI. FUIT & alius regi succurrendi modus, bonorum scilicet ecclesiæ alienatio, bellis civilibus sæculo XVI. sæpe suscepta. Carolus IX. an. 1563. clero permisit bonorum ecclesiasticorum tantum alienare, quantum centies mille aureorum annum redditum ferret: quod Pius IV. ratum habuit. Annis sequentibus hoc iteratum toties, ut an. 1585. alienata bona millionem annui redditus proferrent. Interim istæ alienationes non præceptæ, sed permixtæ erant in subsidium, si aliter regi satisfieri non posset, pro republica & pro ecclesia excubanti. Beneficiariis enim præceptum, ut omni modo solutionem curent, ut prius mobilia, vasa etiam argentea, quæ non divino cultui destinata sunt, vendant; pecuniam mutuam sumant constitutis annuis redditibus; sylvas cædant; emphyteuses & permutationes constituent, demum nonnisi urgente extrema necessitate immobilia vendant. Sed talium alienationum obtentu bona ecclesiastica mire dilacerata sunt, vitio plerumque laborantibus hisce contractibus, quum curatores venditionum sæpe colluderent cum emtoribus. Sæpe enim dives prædium vili pretio venditum; sæpe fundi, nulla silvarum vel ædificio-

Interdum
regis gra-
tia alie-
nandi
sunt fun-
di eccle-
siastici.

rum ratione habita, æstimati; sæpe prædia necessaria & commoissima & generatim plura, quam per edictum licebat, alienata. Quare clerus Meloduni congregatus palam declaravit, se in posterum in hujus generis alienationes non consensurum. Et sane publice interest, ut bona ecclesiastica conserventur, partim ut cultui divino obeundo, clericis alendis & pauperibus suppetant necessaria, quod onus in laicos devolveretur; partim quod ex beneficiis istis sustentantur homines, qui familiæ alendi essent, quive nonnullos sumtus faciunt, qui cedunt in usum pauperum. Ipse rex permisit, ut bona ecclesiastica horum subsidiorum causa alienata revocari possent. Inde ab anno 1563. constitutum est, ut intra annum, ad similitudinem *retractus ex jure consanguinitatis vel domini directi*, ea retrahere liceret: quod tum factum est nummis in diocesis exactis. Hic retractus clero est utilissimus, quoniam jure communi res divinæ sunt extra commercium; sed laicis invisus, quum emtores non sint satis tuti, & infinitæ lites in familiis spargantur. Idem jus singulis cleri conventibus a rege renovatur in proximum quinquennium. Hoc modo plura alienata revocata sunt, & quæ non revocata, ea regi, qui cleri nomine possessionem confirmat, octavam reddituum pendunt.

qui tamen intra terminum nonno quodam jure retractus revocari possunt.

Clerus salaria præbere cogitur decimarum exactoribus regni.

VII. ONERATUS præterea clerus fuit institutis *rationariorum* officiiis. Quum olim vel ipsi episcopi, vel episcoporum mandatarii decimas colligerent, Henricus II. an. 1577. singulis civitatibus episcopalibus præfecit coactorem decimarum; qui sæpe suppressi, sæpe restituti sunt, donec an. 1573. clerus consen-

tiret, ea conditione, ut ipse hæc officia venderet, quibus vellet, nummosque regi donaret: quo pacto *decimatores diocesani* instituti sunt. Ut an. 1621. clerus haberet, quod regi daret, in qualibet diœcesi decimatorem alternantem, duosque censores alternantes instituit: quibus an. 1628. novus decimator & censor triennalis additus. Atque hi decimatores particulares nummos ex beneficiis coactos in ærarium provinciæ intulerunt, quod in ea civitate constitutum, in qua & regis & provinciæ est ærarium, a rationario generali totius cleri ejusque scribis administratum. Sed horum loco an. 1594. instituti sunt rationarii generales, quot essent provinciæ, ita tamen, ut clero hæc officia redimere liceret. Quibus an. 1621. procurator generalis alternans & duo censores alternantes; an. 1625. decimator & censor triennalis additi. Cuncta hæc officia a clero pendent, qui nummos pro iis acceptos regi dedit, eaque vendidit, cui lubitum cum pacto reuisionis perpetuo. Hæc officiorum constitutiones sunt instar mutui seu redituum annuorum, quia clerus pro emtionis pretio salaria aliaque emolumenta præstat. Sæpe ii ipsi, qui hæc officia possident, extra ordinem symbolam ad subsidia conferre tenentur vel supplementi nomine, vel ratione aucti salarii. Solum rationarii generalis officium non est vendibile, quod, quum necessario a clero pendeat, gratuito confertur, quoties conventio cum rege renovatur. Nemo exactorum, siue generalis sit, siue particularis, rationem alii reddit, præter clerum, & licet decimatores a rege constituantur, habentur tamen pro ministris cleri, atque

hoc intuitu exempti sunt a juribus marcae auri, quarti denarii confirmationis hæreditariæ, repetundarum, & taxationum, quæ ærariorum administratoribus sæpe imponuntur; item ab oneribus realibus & militum hospitationibus.

qui rationes reddunt clero.

VIII. EXACTORES particulares episcopis & singularum diocesium syndicis ac deputatis anno finitæ administrationis intra semestre; provinciales rationario generali rationem reddunt, qui tradito catalogo residuorum solus rationes eorum perlustrat atque confirmat. Singuli autem sibimetipsis salaria sumunt ex ærario. Rationarius generalis rationes reddit clero congregato, non solum de decimis, sed & de aliis subsidiis in usum conventuum cum generalium, tum particularium exactis, quæ semper anticipantur modo peculiari, ut nullæ in iis colligendis partes sint provincialium exactorum. Quæ autem regi dona gratuita dantur, ea in rationes cleri non referuntur. De residuis rex contrahit pro lubitu, & contrahenti clerus suppeditat indiculos cum generales, tum speciales.

Conventus cleri generales.

ordinarii decenniis singulis habentur,

IX. QUUM autem decimæ omniaque subsidia extraordinaria per privilegia, tam antiqua & tam generalia, ut juris communis esse videantur, sine cleri consensu peti atque exigi non possint; opus est, ut clerus harum impositionum causa conventus habeat, partim ordinarios, partim extraordinarios. Ordinarii sunt vel singularum diocesium, vel singularum provinciarum, vel totius cleri Francici, qui sine regis venia haberi non possunt. Sed singulis conventionibus de decimis solvendis rex inserit veniam repetendi conventum post decem annos: quod inde ab anno 1586. factum

est. Hi conventus non sunt concilia, quia rei nummaria causa & per deputatos, ut comitia regni, convocantur. Deputari autem non possunt, nisi qui beneficia possident, & quidem ab ea provincia, in qua beneficia sita. Quilibet provincia quatuor mittit; duos primi ordinis, veluti archiepiscopum & episcopum, vel duos episcopos; duos secundi ordinis, qui debent esse *in sacris* & beneficium possidere in provincia, a qua mittuntur. Ubi conveniendum, rex indicat, qui saepe locum extra Parisios elegit, ne deputati aliis negotiis distingerentur. Præter conventus generales singulis augustio- res singulis quinquenniis. decenniis cogendos, sunt etiam speciales, quibus rationes rationarii generalis examinantur. Olim singulae provinciae, quarum sunt quindecim, singulos deputatos mittebant, quorum quinque negotium perficere potuere. Sed an. 1615. placuit binos e singulis provinciis vocare, ut conventus constaret XXXII. personis, si duos cleri procuratores adnumeraveris. Hi conventus usque ad an. 1625. singulis bienniis habiti, in singula quinquennia rejiciuntur, ut alter concurrat cum conventu generali, alter in intervallum ejus incidat, veluti an. 1660. 1670. 1680. Sed ab his quoque rex postulat subsidia extraordinaria. Conventus extraordinarii sunt, quos, incidente re majore & improvisa, prælati, qui in curia degunt, cum cleri procuratoribus generalibus habere solent. qui sint conventus extraordinarii?

X. OLIM Syndici & deputati cleri generales constituti erant an. 1564. quos, quod potestate sua abuterentur & in redituum annuorum constitutionem consentirent, conventus Melodunensis an. 1579. abrogavit, insti- Cleri agentes seu procuratores qui?

Camera
ecclesia-
stica sine
appella-
tione de
litibus
circa hæc
subsidia
cogno-
scant.

tutis procuratoribus generalibus, qui cleri causam in curia perpetim agerent. Eorum duo sunt, & quidem secundi ordinis, qui alternatim a provinciis, æque ac quatuor deputati, nominantur. Constituuntur in quinquennium, & in singulis conventibus augustioribus duo alii nominantur, veteresque negotiorum gestorum rationes reddunt. Syndici isti generales olim quoque jurisdictionem habuere in Causis ad decimas pertinentibus. His suppressis conventu Melodunensi placuere camera ecclesiastica, quæ regio edicto an. 1580. in VIII. civitatibus Metropolitanis, Parisiis vice Senonum, Lugduni, Rothomagi, Cæsaroduni ad Ligerim, Biturice, Tolosæ, Burdigalæ & Aquis Sextiis institutæ: quarum quælibet habet X. vel XII. iudices doctores & in sacris, ab archiepiscopis electos. Hi de omnibus litibus, quæ ratione decimarum aliorumque subsidiorum, oriuntur, cognoscunt, & gratis officium faciunt, nulla appellatione laessendi. Eorumque jurisdictionis multis regiis rescriptis & senatus consultis confirmata est. Sunt & alia judicia particularia in pluribus diocesisibus an. 1615. instituta, in quibus episcopus cum syndicis seu deputatis diocesanos de iisdem causis cognoscit in prima instantia, & si lis viginti librarum æstimationem non excedit, sine appellatione. In qualibet diocesi est syndicus vel rerum ecclesiasticarum procurator, qui Blesis^r instituti, & an. 1579. 1596. & deinceps confirmati sunt. Quilibet in synodo eligitur, & ab eadem removetur. Sunt etiam syndici provinciales, conventu Melodunensi instituti. 1) *Ordin. Bles. art. 19.* IN-